

**OBSER.** *Quis deduxit me.]* Consideremus & illud, quomodo ex sua ipsius humilitate & amplitudine victo-  
*Vers. 10.* riae colligat, non esse illam suarum virium, sed Dei: ideoque sese extenuet, dicens: *Quis me deduxit?* Hoc  
 exemplo instruantur, quotquot singulari dispensatione Dei eò prouehuntur, ut res insignes, & vi-  
 res ipsorum excedentes perficiant, ut discant, quomodo & ipsi gloriam operum, suorum diuinæ  
 maiestati adscribant.

**OBSER.** *Nonne tu Deus, qui deserueras nos, & non egrediebaris, &c.]* Admonemur hinc, non posse vllum populum  
*Vers. 11.* consistere, quantumuis de foribus ac bellicosus maioribus gloriantem, & magnis exercitibus ad  
 bella egredientem, si deseratur à Deo. Deinde obserua, quòd non dicit, *Nonne tu Deus, qui non adiuua-  
 ras nos:* sed, *Qui deserueras nos.* Deseruisse dici non potest, nisi qui antea coniunctus fuit. Ergo licet cõ-  
 iunctus sit populo suo Deus, timendum tamen est, ne illum propter malitiam eius deserat. Deniq;  
 videmus hinc, quàm non debeat populus aliquis gloriari de eo, quòd maiores ipsorum diuinitus ad  
 res magnas fuerant adiuti, nisi opem illius & ipsi obtineant.

**OBSER.** *Fer nobis auxilium in tribulatione: quia vana salus hominis.]* Expendamus hanc particulam: *Fer nobis auxi-  
 lium.* Admonemur, non esse desperandum posteris eorum, qui aliquando deserti fuerunt à Do-  
*Vers. 12.* mino, quo minus opem Dei implorent ac sperent, si ad illum conuertantur.

*Si vana est salus hominis: ergo vana est hominis sapientia, amicitia, potentia, & opulencia.*  
*Quia vana salus hominis.]* In genere faciat ad hoc, ne à quoquam mortalium pendeamus. In specie,  
 sicut à Dauide hoc de seipso prolatum est, admonemur, ut sic quisque de se sentiat, ne præsumat se sa-  
 lutem esse mortalium.

*In Deo agemus.]* Primum cogita quòd nō dicit, *In Deo ociosi erimus:* sed, *Agemus fortiter.* Ociosos Deus  
 non adiuuat. Fides non facit negligentes. Deinde obserua, quòd non dicit, *Nos conculcabitur:* sed, *Et  
 ipse conculcabit inimicos nostros.* Nos agamus quidem fortiter, verum effectum demus Deo.

## PSALMVS CIX.

AD PRÆCINENDVM DAVIDIS PSALMVS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**H**abet hic Psalmus grauissimam & vehementissimam Dauidis imprecationē, aduersus impios quos-  
 dam, ipsius inimicos & hostes, quos apparet fuisse Doeg Idumæum, de quo 1. Sam. 21. & 22. con-  
 similes alios assentatores Saulis, qui de lationibus suis necem & interitum innocenti, & aliis satis  
 adstricto, struebant.

Dispositio Psalmi.

Est autem Psalmus iste sic compositus, ut quatuor partibus diuidi possit: quarum prima primis quinque  
 versibus Propheta de inimicorum suorum fraude & malitia in conspectu Domini grauiter conqueritur:  
 secunda à versu 6. vsq; ad 21. diuinam illi vltionem singularem & horribilem imprecatur, & simul cau-  
 sam imprecationis huius adiungit: tertia à versu 21. vsq; ad 30. auxilium Dei implorat, & afflictionem  
 suam gratiæ illius commendat: quarta & postrema Psalmum per votum diuinæ laudis & gratiarū actio-  
 nis duobus postremis versibus claudit.

PRIMA PARS PSALMI.

**VERS. I.** **D**EVS laudis meæ ne taceas.



2. Quoniam ora impia & dolosa aduersum me aperta sunt, loquuta sunt  
 mihi lingua mendaci.

3. Et verbis odiosis circumdant me: & impugnant me sine causa.

4. Pro dilectione mea aduersantur mihi: ego verò orabam.

5. Et reponunt contra me malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

**LECTIO.** *Deus laudis meæ.]* Ebr. est, אלהי החלהי אל החרש. Græc. & vulg. Lat. verbum tacendi dictioni laudis  
*Vers. 1.* coniungunt, & legunt: *Deus laudem meam ne tacueris:* cum quibus facit & Arabs. Chald. verò sic: *Deus  
 laus mea, & ne taceas.* & Hieron. *Deus laudabilis mihi, ne taceas.*

*Loquuta sunt mihi.]* Ebr. est, דברתי איתי: id est, *Loquuta sunt mecum.* Sic legit & Chald. & Pagn. & Tigu-  
*Vers. 2.* rina, & Felin. Græc. & vulg. Lat. & Felix reddunt: *Aduersum me.* Iustin. *De me.*

*Pro dilectione mea.]* Ebr. אהבתי. Græc. ἀγαπῶ με: id est, *Pro diligere me:* ut ita reddam,  
*Vers. 4.* quod intelligi potest, vel pro eo, quod ego diligebam: vel pro eo, ut me diligerent, quemadmodum vulg.  
 Lat. vertit: quasi אהבתי, idem sit quod, *Pro dilectione mei.* Hieronymus legit: *Pro eo quòd eos dilige-  
 bam.* Illud: *Aduersantur mihi,* Ebraicè, ישרו, Græc. & vulg. Lat. legunt: *Detrahebant mihi.*

**EXPLA- NATIO.** *Deus laudis meæ ne taceas.]* Implorat hoc versu opem Dei contra inimicos suos. Quod enim dicit: *Ne  
 taceas,* nihil est aliud, quàm ne quiescas, ne connueas amplius, sed exurgas ad asserendam causam  
*Vers. 1.* meam, & occurrendum malitiæ inimicorum. quasi dicat: *Tanta est o Deus inimicorum meorum  
 fraudulencia & malitia, qua me immeritum, imò bene de ipsis meritum, opprimere conatur, ut ferri  
 amplius nec debeat, nec possit: quapropter oro tandem in illos exurgas, nec taceas, sed iram tuam  
 declares.* Quòd autem Dominum, *Deum laudis suæ* vocat, bifariam exponi potest: vel de eo quòd ipse  
 laudem à Deo consequutus esset, aut se cõsequuturum speraret, tum videlicet, quādo innocentiam  
 suam assereret: vel de eo quòd Deus ab ipso laudaretur quotidie, & extolleretur in omnibus. Kimhi  
 Ebraeus particulam hanc sic exponit: כלומר כי בן אני מהחלל לא כאיתן האנשים שים מתחללים: id est, *Quasi dicat: Quoniam in te glorior ego, non insicut viri illi, qui malitia sua gloriantur.* Ergo se-  
 cundum